

totius, in quantum natura formalis, quā totum primo est tale, sicut humanitate per se homo est homo tanquam natura, & quidditate suā formali.

Quart.

Quarto. Sicut in quaternario est forma partis, nempe vltima vnitas, ita & est forma totius, scilicet quaternitas: sic cæteris paribus in præfenti in composito Physico dabitur forma partis, & forma totius.

Quint.

Quinto. Præcipuum fundamentum eorum, qui non admittunt formam totius, est quod velint formam partis esse totam quidditatem rei, & materiam non pertinere ad quidditatem compositi Physici, contra quos egimus *partitione primâ*, quo fit, vt non immeret impugnando Archangelum Mercenarium, qui in speciali defensione peripatetica ex professo contra Scotistas agit quoad principium indiuiduationis, & formam totius volens ostendere non dari, sed vt dixit fundatur in eo, quod vellet formam partis esse totam quidditatem rei, quod falsum esse ostendimus *partitione primâ*.

Sext.

Sexto. Probatur autoritate: Dicitur enim formam totius admittunt tum Thomistæ, tum Scotistæ, vt videre est apud Flandrensem *septimo Metaph. quest. 19. art. 2.* qui & citat D. Thomam in *quarto sententiar. dist. 44. quest. 1. art. 1.* Item Auerticem, Albertistas, & Auicennam: Scotistæ in aperto eam docent. De Balfolis supra citatus, Lichetus Scoti interpres in *tertio dist. 2. quest. 2.* post medium, & Fauent. *theorem. 21.* Philosophico, qui tamen omnes notant non esse existimandum, quod totum habeat illam suam tertiam entitatem ab aliqua forma illi superueniente vltra formam partis, aut quod illa forma totius sit constituens, sed in hoc sensu, quod illa forma totius sit ipsa natura tota totius, quæ quidditas dicitur, & sic in homine humanitas est forma totius, & hæc forma est diuersa à forma partis, sicut totum est aliud à forma partis, illique formæ totius respondet materia totius, quæ est ipsum compositum, non quod illa forma informet compositum, quia vt dictum est, non est forma informans, sed dicitur forma compositi, quia est forma, quæ compositum est ens quidditatiuè, vt hoc compositum homo est homo humanitate, & prædicto modo explicat formam totius Fauent. cit.

In idem ferè reincidit, quod ex Scoto refert Lichetus, nimiram quod forma totius non possit dici forma diuersa à forma partis, quæ sit constitutiva totius, id est licet forma totius sit alia realiter à forma partis, tam è sola forma partis in ratione formæ dicitur constitutiva compositi, cum realiter ipsum compositum sit per eam constitutum, ex quo postea resultat illa tertia entitas, quæ est realiter ipsum compositum constitutum, nullo tamen modo illa forma totius perficit materiam, & formam, scilicet per informationem, nec vnit materiam cum forma, sed est quædam entitas ab vtraque resultans, quæ non ineptè vocari potest forma, aut saltem per modum formæ, at quia citati famosissimi authores eam vocare solent formam, ideò scribendo sequamur peritos, quod si eam dedigneris vocare formam ex eo, quod non informat, nec vnit materiam, voces quocunque voles nomine, non

curo, dummodò admittas cum Scotistis esse tertiam quandam entitatem supra partes etiam vnitatis.

Obijcies primo: Vltra formam specificam non datur vltior forma; sed si daretur illa forma totius, nempe dicta tertia entitas, illa esset posterior forma specifica, & ideò homo non poneretur vltimatè in specie per animam, sed per illam formam totius.

Obijc. primi.

Respondeo aliam esse formam specificam partis, & aliam formam specificam totius, forma specifica partis est v. g. anima rationalis in homine: forma verò specifica totius est ipsa entitas specifica compositi, vel ipsummet totum compositum secundum propriam entitatem specificam formalem includentem partes transcendas, quamuis autem vnus, eiusdemque rei non possint esse plures formæ totius, attamen bene potest esse forma partis, & forma totius, quia illæ inuicem sibi sunt subordinatæ, & idem omnino; v. g. esse hominis fluit ab illa duplici forma, mediatè quidem à forma partis, & immediatè à forma totius.

Resp.

Obijcies secundo: In substantijs immaterialibus non datur forma partis, & forma totius, ergo nec in composito Physico. Item ex vnione accidentis cum subiecto non resultat aliqua forma totius.

Obijc. secund.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequens, & consequentiam, est enim maxima disparitas; nam substantiæ spirituales sunt totæ formæ, nihilque materialitatis habent; at composita Physica non sunt formæ tantum, proindeque non mirum, si præter formam partis habeant formam totius. Ad illud de composito per accidens dico etiam esse disparitatem, cum enim compositum per accidens non sit vnus per se, nec formam aliquam totius postulat: at è contra quia compositum Physicum est vnus per se, ideò formam totius requiret.

Resp.

Partitio IV.

De forma Corporeitatis.

Hæc difficultas hic examinari solet, aut in libris de anima, quæritque, an in composito Physico præter formam substantialem vltimatam, & ponentem materiam in aliqua determinatâ specie, detur aliqua forma inferior, & incompleta, & non vltimata reddens materiam capaxem quantitatis, vt vult Auicenna statim citandus, vel ponens compositum in esse corporeo, vt vult Scotus?

Triplex est hac de re sententia: Prima est D. Thomæ *primâ parte quest. 76.* & Thomistarum communis talem de medio penitus tollentium formam corporeitatis, & admittentium tantum in composito formam substantialem completam, & absolutam.

Varia opiniones.

Secunda est Auicennæ *lib. 1. sua sufficientie cap. 2.* Ita philosophantis: quandoquidem materia de se est indiuisibilis, & tamen est subiectum quantitatis, ideò debet poni aliquid in materia, quo ipsa veluti reddatur diuisibilis subiectiuè, & quo mediante recipiat quantitatem, quæ de se est diuisibilis, & proinde Auicenna vult illam for-